

from small decay'd Towns, where several of them were then seated, *in Urbes Celebriores*, *Stigand* then Bishop of *Selsey* settled his Episcopal Chair at that Place.

I shall conclude with observing, that when this Inscription was dug up, there were also two Walls of Stone discovered close by it, three Foot thick each, one running North, the other East, and joining in an Angle, as the *North-street* and *St. Martins-lane* now turn, which, in all Probability, were Part of the Foundations of the Temple mentioned on the Marble.

Octob. 31. 1723.

II. *De Structura Diaphragmatis. Epistola Domini Antonii van Leeuwenhoek, R. S. S. ad Societatem Regiam.*

Delphis, 31 Maii 1723.

IN epistola illa, quam ad Dominum *Jurin* nuper perscripsi, paucis aperueram opinionem meam de morbo, qui nuperrima hyeme me invaserat. Statuebam enim malam affectionem Diaphragmatis originem morbo praebuisse.

Ut autem de hac Diaphragmatis affectione omnem mihi dubitationem eximerem, Diaphragma ovis anniculæ ad me deferendum curavi; partem illius Diaphragmatis in minuta frustula confectam, ope microscopii, qua potui diligentia consideravi; comperique Diaphragma ex parte compositum esse ex tenuissimis fibrillis; quæ fine microscopio conspectæ latum circiter capillum inter se distant.

Cum



Cum deinde diversa Diaphragmatis frusta diversis microscopiis applicuisssem, & visu diligenter examinassem; pro certo statui fibrillas illas ex partibus exoriri carnosis, quæ Diaphragmati circa costas intexuntur. Easdem fibrillas Diaphragmati vice tendinum inservire judicabam. Tendines isti, sic mihi dicti, non sunt per totum Diaphragma æque sibi vicini: Quin alii aliis, quamvis sibi vicinis, sunt aliquanto crassiores.

Cum autem & fibrillas modo dictas, & membranam inter fibrillas exponrectam, rite considerassem; animadvertisi Diaphragma, quantum ad maximam sui partem, ex fibrillis istis, & membrana fibrillis interjecta, compositum esse: Si tamen vasorum sanguineorum & copiosi adipis, quæ Diaphragmati magna copia insident, rationem modo non habeamus.

Membrana vero, inter tendines (ita mihi dictos) interjecta, tot rugulis exiguisve plicis scatet, ut pene obftupescerem: istas autem rugas five plicas ad hunc usum naturaliter destinatas esse credebam, ut Diaphragma per aëris inspirationem extensum rufus contraherent; eaque ratione opem suam conferrent ad aërem, qui Pulmones per inspirationem impleverat, inde expellendum.

Ut Diaphragmatis contexturam oculis spectandum exponerem; exiguam Diaphragmatis ovilli modo dicti portionem delineari, & in icona 2. per ABCDEFGH designari curavi. Ubi BG, CF; & DE, tres sunt tendines, ea magnitudine expressi, quam microscopium oculis exhibebat: qui tendines, ut jam ante monui, magnitudine non parum inter se differunt. Inter illos vero tendines membranam interjectam videmus; ex quibus tendinibus, & interjecta membrana, Diaphragma maximam partem compositum esse modo dicebam.

Ut autem de vera iconis 2 magnitudine judicare positis, delineatorem, ut veram frustuli delineati magnitu-

dine in dīgo indicaret, rogavi; qui mox spatiū inter Y Z in icoñe 5. comonstravit.

Adhæc membranam modo dictam permultis iisque exiguissimis foraminibus pertusam esse observavi: quæ exiguissima foramina ab abdomen patebant in pectus, & a pectore vicissim in abdomen. Cum autem fieri non posse hactenus judicaverim, ut humor quispiam ex pectore delabatur in abdomen, vel ex abdomen subvehatur in pectus; nunc satius mihi videtur, indicium super ea re meum suspendere. Quin sic mecum differo; forte etiam pulmonibus nostris vascula infunt incomprehensibilis exilitatis. Quippe si cogitemus, quantum humoris ex pulmonibus nostris per exspirationem educatur in aërem, præ exigua humoris copia quam inspirando ex aëre inferimus in pulmones; facile in sententiam illam propendebimus.

Sed & hoc non semel observavi, quod fibrillas illas, quas tendines appello, vasa quædam perrepant itinere transverso.

In alio ejusdem Diaphragmatis frustulo, quod microscopio applicatum servabam, clare intueri licebat structuram exortumque membranularum; quas inter fibrillas, sive tendines sic mihi dictos, interjacere dixi. Membranulas illas permagno plicarum numero, ut etiam præmonui, instructas videmus: quæ omnia in icoñe 3, exhibentur ad L K. Fibrillæ vero, sive exigui tendines, de quibus modo differebam, in eadem icoñe designantur per L M N O P Q. Verum fibrillæ istæ sunt hic majores, quam uspiam mihi occurrerint.

Præterea membranam illam, ex qua Diaphragma maximam partem constare dixi, quamvis tam tenuem, a se divelli, & exiguam avulsæ partis portionem ope microscopii in icoñe 4 exprimendam curavi. Quod eo consilio feci, ut laceros tendines atque membranulas, quantum

tum ars imitari naturam poterat, oculis subjicerem. Ergo hic per R S T V particula indicatur tendinis extensi: ubi & exiliissimæ exhibentur fibrillæ, ex quibus prædicta tendinis portio contexta est. In eadem iconē per V T & W X portio designatur tendinis quiescentis.

Istud vero neque explicari, neque satis comprehendendi potest, quam incredibilis fibrillarum, vasculorum, & particularum numerus hic inter se conglomeretur; & ad tenuissimæ membranæ, Diaphragmatis inquam, formationem concurrat. Sic autem statuo, quoties validus inspiramus, omnes illas plicas five sinuosas corrugationes in Diaphragmate evanescere atque complanari: quoties autem exspiramus, Diaphragma rursus in plicas rugasve contrahi, quod & superius notavi.

Dum igitur tantam adipis copiam in Diaphragmate gigni, & congregari videimus; prætereaque cogitamus substantiam Diaphragmatis per adipem illum sic utrumque posse crassescere, ut in tumorem extuberet; facile intelligemus Diaphragmatis expansionem atque contractionem ea ratione posse impediri atque pigescere, atque hinc spirandi difficultatem consequi: ob quam rationem homines obesos præ aliis anhelos esse judicamus. Modico autem adipem Diaphragma perfundi oblique necessarium statuimus: cum enim Diaphragma singulis horis nongenties expandi & nongenties contrahi necesse sit; motus illos per adipem magnopere adjuvari censemus.

Ceterum frequentiori indagatione explorare conatus sum, qua ratione carneæ Diaphragmatis partes, quas costis vicinas esse dixi, transiissent in membranam; five qua ratione membrana Diaphragmatis ex illis esset exorta. Verum licet indagationem illam crebro frequentarem, ipse mihi satisfacere non potui.

Jam & illa dubitatio me subierat, an non tendines, quos ego quidem sic voco, vasculis sint instructi : Et licet microscopio meo vix tantum tribuere auderem ; tamen tertio post die indagationem iteravi, & tendines transverse dissecui : quando & illuc indagationem meam dirigebam, ut etiam in membrana Diaphragmatis, quam rugosam esse dixi, sanguinea vasa requirerem. Tandem igitur successit, ut sanguinea vasa secundum longitudinem tendinum protendi, immo octonus de nosque invicem adjacere viderem. Inde ad membranam, quæ tendines quasi circumvestit, oculos converti ; in eaque tam ingentem observavi numerum exilissimum ruin vasorum, ut admiratione defixus hærerem. Complura istorum vasorum velut areolis inclusa jacebant ; quæ tendinum transverse perfectorum vascula esse censebam. Ut autem eorum omnium, quæ modo narravi, testem haberem ocularem ; microscopium istud, cui dictas Diaphragmatis particulas applicaveram, Chirurgo meo tradidi ; qui dicta mea cum iis quæ videbat, examissim convenire respondit.

Hac tamen observatione non contentus, comparavi Diaphragma bovillum ; ex quo circa partes illius carneas, quas costis adjacere dixi, frustum circiter palmarium excidi : comperique Diaphragma bovillum circiter quadruplo crassius esse ovillo ; & hanc crassitudinem maxima ex parte illius adipi acceptam esse referendam.

Exinde ex illa Diaphragmatis portione lamellam quam potui tenuissimam abscidi ; quoties enim paulo crassiorem excidebam, perfecabam adipem, qui versus medium Diaphragmatis protenditur ; puta, ubi Diaphragma satis est crassum, neque adipis expers. Diaphragma vero utrimque, id est, superius atque inferius, quatuor distinctis constat membranis, earumque tendinibus ;

tendinibus; qui tendines membranis veluti inclusi delitescunt.

Istorum autem tendinum ingens multitudo non poterat mihi non admirationem parere: neque satis credibile videbatur in corpore, cuius structura functiones que tam parum sunt cognitæ, in Diaphragmate inquam, tales tamque multiplices partes includi.

Ut Diaphragmatis bovilli structuram oculis expondere, partem illius in icona 6 ad ABCD exprimendam curavi, ubi primo quatuor exhibentur partes distinctorum tendinum, qui magno numero invicem adjacent, & supra in Diaphragmate ovillo etiam sunt exhibiti. Verum per integrum bovis Diaphragma istiusmodi diffunduntur exiguisimi tendines, quos ego quidem sic appello. Et hos quidem tendines, una cum membranis, necesse est in rite constituto corpore sine ulla intermissione alternatim extendi atque contrahi; quæ omnia in icona 6 satis accurate delineator expressit.

Tenuissimas illas fibrillas, uti & membranarum rugulas plicasve, per crebram indagationem etiam ex votu meo deprehendi in Diaphragmate ovillo; nec ipse tantum saepius cum voluptate consideravi, sed & aliis considerandas exhibui. Ceterum tendines illos, ita mihi dictos, & tenuissimas particulas transverse persecui; inquirere volens num forte sint perviae, & cavitatibus praeditæ. Quando incredibilis exilitatis vascula tanto numero in oculos meos incurserunt; ut, qui ipse non viderit, vix mihi sit habiturus fidem. Tum & ingenitem percepi numerum exiguisimorum vasculorum, quæ transverso Diaphragma itinere perineabant; & quantum ego quidem sentiebam, ad hoc officium a natura destinantur, ut adipem per omnes Diaphragmatis partes circumferant, & ipsi Diaphragmati continuum alimentum subministrent.

Superius modo dixi adipem in Diaphragmate inclusum latere; & utrumque super adipem quatuor exporigi membranas, inter se omnino distinctas. Addo membranas istas tam arte sibi conjunctas esse, ut simplex esse membrana videatur.

Jam vero alteri microscopio, quod paulo minus quam microscopia modo dicta magnitudinem objectorum augebat, frustum Diaphragmatis mediocre crassitudinis adimoveram. Quod eo spectabat, ut demonstrarem, qua ratione membranæ partes Diaphragmatis adiposas, sive ipsum Diaphragmatis adipem, utrumque circumdant; adeo ut adeps in membranis illis includi videatur. Id autem in iconе 7 indicatur per E F G H I K L M, ubi per E F G H, item per I K L M, duæ istæ quadruplices designantur membranæ; in G H vero, & I K, adeps sæpe jam dictus includitur.

Cum deinde tenuissimam Diaphragmatis portionem, quæ præ manibus erat, in orbes coniscindere conarer, Diaphragma in duas partes sive lamellas fecesit; unde suspicatus sum Diaphragma sic a natura comparatum esse, ut adeps eo facilius per Diaphragmatis substantiam distribuatur.

In iconе 7, ubi membranæ transverse sectæ exhibentur, quædam exiguæ apparent corrugationes, quæ in iis plerumque percepimus. Postea comperi membranulas, in quibus adeps coeundo producitur, exilissimis vasculis annexas esse; quæ tamen vascula per contiguarum partium exsiccationem in Diaphragmate iam dicto erant disrupta. Hanc ego membranularum & vasculorum connexionem ex eo capite necessariam existimo; ne Diaphragma, quoties extenditur, omnino complanetur, sed in cavitatem pene globosam sese expandat.

Forte complures Diaphragma sentient esse membranam apprimè crassam; cum tamen sit membrana per exilis.

exilis. Ut igitur hunc illis errorem eximam; frustulum Diaphragmatis bovilli, sicut se nudis oculis offert, delineandum curavi: Istud tamen verum est, Diaphragma pro tenuitate sua esse oppido robustum, quod multitudini exilissimorum tendinum, de quibus saepius egi, tribuendum esse statuo.

Igitur per N O P Q, in icona 8, frustulum designatur Diaphragmatis bovilli: ubi per fibrillam N O unum latus, sive dimidia crassitudo, Diaphragmatis bovilli indicatur; per P Q altera crassitudinis illius medietas exprimitur. Reliquum Diaphragmatis, nempe quidquid inter O P & N Q interclusum est, adipe sive partibus adiposis est obsitum: nisi quod inter N Q nonnihil carnis interjaceat, pertinens ad carnem costis adjacentem.

Igitur quo morbum antedictum, qui nupera hyeme me corripuit, & quem ego Diaphragmati maxima ex parte imputabam, saepius in memoriam revoco; eo etiam saepius Medicos errare cogito, dum palpitationem, quam in pectoris regione quandoque percipimus, cordis palpitationem appellant. Certe ego tales palpitations ex mala Diaphragmatis affectione oriri censeo; sive affectionem illam producat alimenti defectus, sive vasorum quorundam efficiat obstipatio, quae Diaphragma magno numero pervagantur. Talis enim obstipatio in ante-dictis tendinibus facile convulsivos motus excitare potest; & hanc morbi mei ipsissimam fuisse causam existimo.

NEPTVN O · ET · MINERVAE
TEMPLVM
PRO · SALVTE · DOMVS · DIVINAE
EX AVCTORITATE · TIB · CLAVD ·
GO · GIDVBNI · R · ECCL · AGN · BRIT ·
COLLEGIVM · FABROR · ET QVI IN · EO ·
+ D · S · D · DONANTE · AREAM
PVDE NTE · PV DENTIN FFIL ·

+ A. SACRS.
or HONOR.S.





Fig. 4. W







Fig. 8.



Fig. 9.



Fig. 10.



No. N° 370.

